



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Vita Fratris Theophanis, eiusque mirabilis visio et de communicatione cum
hæreticis. Capvt. XXVI.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

*Vita Fratris Theophanis, eiusque mirabilis visio
et de communicatione cum hæreticis.*

CAPVT. XXVI.

SENEX quidam sedebat in Laura Calamonis
iuxta Iordanem fluium, Cyriacus nomine,
magni apud Deum ¹meriti. Ad hunc profes-
sus est frater peregrinus ex regione Dora, Theo-
phanes nomine, vt interrogaret senem de cogi-
tationibus fornicationis. Quem senior hortari cœ-
pit, atq; vrgere verbis de pudicitia, & castitate.
Fratr itaq; magnificè edificatus ait seni: Verè, mi-
pater, ego nisi in regione mea Nestorianis com-
municarem, tecum permansissem. Cùm verò au-
disset senex Nestorij nomen, afflictus de perditio-
ne fratris, corripiebat eum, & orabat, vt recederet
ab hac pessima & perniciofa hæresi, accederetq;
ad ²sanctam Catholicam, & Apostolicam, dicens
non ³esse aliam salutis spem nisi rectè sentiamus
& credamus (vt reuera est) sanctam Mariã
Dei genitricem esse. Dixit autem frater ille seni:
Profecto, domine pater, omnes hæreses sic dicunt,
Nisi nobiscum communicates, saluus esse non po-
teris. Quid ergo faciam, infelix, nescio. Deprecare
igitur Dominum vt re ipsa me certum faciat, quæ
nam sit vera fides. Senex autem cum gaudio fra-
tris verba suscepit, dixitq; illi: Sede in spelunca
mecum, & omnino spem in Deo habeto, quia re-
uelabit tibi ipsi⁹ benignitas, quæ sit vera fides. Di-
missioq; fratre in spelunca sua egressus est senior
prope mare mortuū, orans Deū p̄ fratre. Circa autē
horā nonam diei sequentis, aspexit, frater quendā
astantē sibi aspectu terribilē, ac dicentē: Veni, & vi-
de veritatem. Assumensque eum, duxit in locū te-
nebr osū, ac foetidū, ignes euaporantem. Atq; in
X 5 ipsis

ipsis ignibus vidit Nestorium, Eutychem, Apollinarem, Dioscorum, Seuerum, Arium, Origenem, & alios quosdam. Dixitque illi is, qui apparuit: Locus iste præparatus est hereticis, & blasphemantibus, & his, qui illorum dogmata sequuntur. Si ergo placet tibi locus, persiste in tuo dogmate. Si autem supplicium istud experiri non vis, accede ad sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, quam te senex docet. Dico enim tibi, quia
 † omnes virtutes homo operetur, nec recte credat, in hoc loco cruciabitur. Atque in hoc verbo nit frater in semetipsū, & redeunti seni narrat omnia, quæ videbat, accessitque ad communionem sanctæ Catholice Ecclesiæ. Remansit autem cum sene, impletisque quatuor cum illo annis, dormiuit in pace.

1 *Vides, quod sancti viri, qui Dei mandata custodierunt, meritum habent apud Deum.*

2 *Nota quod heretici omnes sunt extra gremium sanctæ Catholicæ, atque Apostolicæ Ecclesiæ.*

3 *Mira sententia, & vera, non esse aliã salutem, nisi recte sentiamus, & credamus, sanctam Mariam Dei genitricem esse.*

4 *Sicut non sufficit sola fides ad salutem absque bonis operibus, sic nec omnia bona opera sine recta fide.*

Vita presbyteri villa Mardandos.

C A P V T. XXVII.

DECEM fere millibus passuum ab vrbe Cælicæ Aegina, villa quædam est, nomine Mardandos, in qua templum est sancti Iohannis Baptistæ. In hac senex quidam presbyter sedebat summi apud Deum meriti, magnarumque virtutum. Quadam verò die villæ ipsius habitatores accesserunt ad Episcopum accusantes senem, &